


NOVA  
PLANTARUM  
AMERICANARUM  
GENERALA.

Authore P. CAROLO PLUMIER Ordinis  
Minimorum in Provincia Franciæ, & apud Insulas  
Americanas Botanico Regio.



PARISIIS,  
Apud JOANNEM BOUDOT, Regis & Regiae Scientiarum  
Academie Typographum, via Jacobea, ad Solem Aureum.

M. DCC III.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

## CORTUSA.

Tab. 8.

**C**ortusa est plantæ genus flore A polypetalo, anomalo, ex quinque scilicet petalis inæqualibus & dissimilibus constante. Ex cuius calyce D E surgit pistillum F, quod deinde abit in fructum G ovatum, carnosum, officulo fœtum H I, in duo loculamenta diviso K, semine fœta tenui & oblongo L.

Cortusæ unicam agnovi speciem.

Cortusa arundinacea, amplis cannacori foliis.

*Riccob. de  
Gynn. Pa-  
tav. &  
Thuanus in  
Gynn. Pa-  
tav.*

Jacobus Antonius Cortusus, præter generis nobilitatem, sibi decus & ornamentum suis ipsius studiis ac virtutibus comparavit. Semper enim fuit studiosus quam qui maxime; ac tametsi Medicinam numquam professus est, tantopere tamen simplicium medicamentorum cognitione est delectatus, & herbarum omnium, fruticum, arborum vires tam exacte cognovit, ut qui hujus rei peritior suis temporibus fuerit nominari posse nemo videatur. Obiit anno 1593. nullo Opere edito, nisi Catalogo plantarum Horti Patavini, italice Venetiis excuso.

## ALPINA.

Tab. II.

**A**lpina est plantæ genus flore A monopetalo, anomalo, tubulato, personato, tri-fido, petalum intus continente, cuius pars anterior A excavata & alata, posterior vero in annulum definit pistillo C floris trajectum. Calyx autem D abit in fructum E ovatum, carnosum, trifarium ab apice ad basim dehiscentem F, seminibusque fœtum H, tenuibus capillamentis placentæ affixis G.

Alpinæ unicam speciem agnovi. Plurimæ tamen insunt plantæ apud Americanas Insulas nascentes, floribus & fructibus ei affines.

Alpina racemosa alba, cannacori foliis.

*Linden. re.  
nou. 925.*

Prospex Alpinus natus est Marostica, Oppido ad montium vincen- tinorum radices ameno, an. 1553. patre Francisco Alpino, Me- dico sui temporis insigni. Natus Patavii an. 1578. Medicinæ Doctoris insignibus, biennio post, simplicium exoticorum in- gandorum gratia 1580. Venetus solvens, in Ægyptum trajecit,

ibique per triennium commoratus, Venetias rediit, & paulopost  
Genuæ, ab ejus Republicæ Principe, Joanne Andrea Auria,  
ad propriæ valetudinis custodiam accersitus, medicam artem fœ-  
liciter exercuit. Plantas rariores, quas aut in Ægypto ipse ob-  
servaverat, aut ex Creta, & aliunde ab Hieronimo Capello,  
& Nicolao Centareno, Senatoribus amplissimis, acceperat, des-  
cripsit ac depingi curavit. Multos Tractatus, tum Medicinæ,  
tum Botanices, ipse, aut filius ejus Alpinus Alpinius post eum,  
in lucem edidit. Vivere desit an. 1616. etat. 63.

## G E S N E R A .

**G**esnera est plantæ genus flore A monopetalo, personato,  
anomalo; ex calyce autem C surgit pistillum posticæ floris  
<sup>Tab. 94</sup> parti ad instar clavi infixum. Calyx autem abit deinde in fruc-  
tum D membranaceum, coronatum, in duo loculamenta divi-  
sum E, & seminibus foetum exiguis F.

Gesneræ species sunt.

Gesnera humilis, flore flavescente.

Gesnera arborescens, amplo flore fimbriato & maculoso.

Gesnera amplio digitalis folio tomentoso.

**C**onradus Gesnerus Tiguri Helvet. an. 1516. natus, vir publicum  
bonum juvandi adeo studiosus, totius Historiæ naturalis parens,  
ac veluti promptuarium, primus omnium veram aperuit viam  
ad plantarum cognitionem asequendam, Generum adjumento. In Melchior  
nulla naturæ rerum parte diligentius est versatus, nulli plus tem- <sup>Adam.</sup>  
poris & operæ impendit, quam plantarum cognitioni; etenim ado-  
lescens, aut potius puer ab Avunculo Joanne Friccio, rei herba-  
riæ perito, ad hoc studium assuefactus est, quod deinde semper  
amavit. Quantis laboribus sudaverit, declarant immensa ejus  
Opera, quorum tamen, proh dolor! perierunt multa. Mortuus  
est in Musæo suo, quo paulo ante quam expiraret, reduci vo-  
luit, lue pestifera quæ Tiguri grassabatur, correptus, an. 1565.  
etatis 49.

